

ad eò Tibi titulum, ab Apostolo assertum, adimit *Salvatoris omnium hominum, maximè Fidelium*. Hac ratione necesse est novitatis illius sequacibus non parum imminui fiduciam, amoremque Tui, cum dubitant, utrum salvare eos volueris.

Ex octo Articulis sequentibus singuli suffragantur secundæ hæresi Janfenii *de gratia interiori, cui nunquam resistitur*.

Articulus vigesimusecundus, vigesimustertius, vigesimusquartus, & vigesimusquintus eam nobis describit gratiæ efficaciam, ut in potestate hominis non sit recusare consensum. Minimè liberum humanæ tuæ naturæ fuit, unionem admittere hypostaticam, vel impedire; nec magis potuit res quælibet à DEO condita, suæ obicem ponere origini, aut mortuus resurrectioni. Neque sanationi corporis, quæ prodigio, & solâ DEI voluntate fit, libertas infirmi hominis cooperatur; quæ tamen efficacia auxilii ideæ memoratis quatuor Propositionibus inculcantur.

Articulo vigesimosexto, & vigesimoseptimo Fides prædicatur velut prima omnium gratiarum. Nullane igitur ad Fidem datur gratia præparans? Omnis enim ad eam dispositio intrâ naturæ limites contenta, & absque omni superioris ordinis subsidio, ab Ecclesia tua ad Pelagianismum rejicitur.

Magis horrore est Articulus vigesimusoctavus, peccatores quoslibet omni destituens gratiæ tuæ præsidio ante peccatorum remissionem. Quomodò se ad pœnitentiam miseri disponent? Quomodò actus illos elicient, quos Ecclesia tua olim Tridenti congregata statuit justificationi prævios? Sic omnes tuæ, tuorumque Ministrorum hortationes ad pœnitentiam, peccatoribus fuerint inutiles, nisi postquam peccatores esse desierint. Non minùs frustraneæ erunt omnes sanctæ, & Apostolicæ ad Fidem, & Ecclesiam invitationes, si *extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*; ut contendit Articulus vigesimusnonus. Non enim ad Ecclesiam adultus admittitur sinè prævia Fide, & pœnitentiâ, quæ solis naturæ viribus non comparatur.

Tres Articuli sequentes, nempe trigessimus, trigessimusprimus, & trigessimusecundus duritiam Tibi, ò dulcissime amator hominum, impingunt, quasi solis prædestinatis ad salutem promovendis veneris, nulli reprobò æternam optaveris felicitatem; sed aliquibus solummodò temporalem justitiam, à qua necesse fuerit eos ante obitum deturbari. Quam à Te injuriam pridem tui Vicarii depulerunt, proscribentes eandem in Janfenio doctrinam, velut *impiam, blasphemam, divinæ pietatis derogantem, & hæreticam*. Crediderat hæcenus Sponsa tua, quemlibet Fidelium, grato animo agnoscere debere, & cum Apostolo profiteri de Te istud præcipuum amoris nostri incentivum, *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Illud credere jubemur singuli, dum in Symbolo Fidei, tot seculorum usu, & Nicænæ Synodi autoritate consecrato suavissima hæc decantamus verba: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*. A solis illud sanctis, & electis recitari, & credi patitur Articulus trigessimustertius.

Trigesimusquartus divinæ gratiæ tuæ injuriosus est, quando ei, quæ Adamo collata fuerat, laudem detrahit meritorum, non DEO illa tribuens; sed solum homini: *Gratia Adami*, inquit, *non producebat nisi merita humana*.

Novam Tibi injuriam infert trigessimusquintus, dum non inter beneficentiæ divinæ munera gratuita; sed inter ea, quæ naturæ debentur integræ, datas Adamo gratias recenset, ut gratiæ esse definant. Ita qui Janfeniani sunt in natura peccato originis viciata, ad oppositam Pelagii hæresim accedunt in natura integra.

Trigesimusextus Articulus gratiam nobis negans intrinsicam, hæresim sapit: neque verum est omnes Tibi unitos esse, qui aliquo gratiæ tuæ præveniuntur auxilio.

Trigesimuseptimus errat, sanctitatem nobis intrinsicam negans, & à gratiarum tuarum numero excludens omnes, quæ *Omnipotentes* non sunt, & reipsa non sanctificant.